

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Ascensio i
cum fonte primo

Resurrectio Domini spes nostra est,
ascensio glorificatio nostra.

Si ergo recte, si fideliter, si deuote
ascensionem Domini celebramus,
ascendamus cum illo et sursum corda habeamus.

Augustinus ibidem (in sermone de ascensione).

Resurrectio domini spes nostra est;
ascensio domini glorificatio nostra est.

Ascensionis hodie solemnia celebramus.

Si ergo recte, si sancte, si fideliter, si deuote, si pie
ascensionem domini celebramus,
ascendamus cum illo, et sursum cor habeamus.

Caesarius Arelatensis, *Sermones*, 210.1-2 (CCSL
104, G. Morin ed., p.838).